...lexander

...iensis

Collegii Cracoviensis Soc. Jesu Emeriti gentilitii

rastri labores —

EMERITI
Gentilitii RASTRI Labores
In aperto Honorum Meritorumq; campo
Omnibûs Gloriæ numerîs
ABSOLUTI.
In
CELSISSIMO ILLUSTRISSIMO ac
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOANNE ALEXANDRO
à LIPE
LIPSKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPO CRACOVIENSI
DUCE Severiæ V: Cancell. Regni &c.
ultra Vavellum, & Ducalem Mitram, evecti
&
CONSUMMATI.
Ad auspicatissimum autem suæ Cathedræ ingressum,
à Collegio Cracoviensi Societatis IESU SS. Apostolorum
PETRI & PAULI Religiosa panegyri
inter immortalis monumenta gloriæ, exemplar, & memoriam sæculorum
REPOSITI.
Annô Consummati laboris & salutis 1734.

CRACOVIÆ
Typis Jacobi Máryaszkiewicz, S. R. M. Celsissimi, Jllustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi Cracoviensis. Ducis Severiæ, Ordinarij Typographi,

256


Emeritis Sua Rastra fecerunt super astra labores
Sumpsimus et in tanto culmine Praesul eris

CELSISSIME PRINCEPS
ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME
ANTISTES

QUalem Te Orbi, in flore sanguinis, in Regali folio, in violis, explicuerunt merita, talem hæc etiam paginæ loquitur facies, talem ostentat, talem defert, Te ipsum Tibi. Et hinc est: quantum sive ad exquisiti honoris pompam, sive ad panegyricæ laudationis Majestatem, non modo sufficis, sed ultra satis, es Tibi solus. Facile intelligent, qui vel ab humili hoc calamo, Tuam metientur Celsitudinem, nil Tibi cum honore, omnem Pōtificiæ dignitati gloriam, Tecum accessisse. Aduenisse Senatui Mentem, Patribus conscriptis, Caput, aris, propitium Poloniæ Numen, ipsis deniq; Præsuleis virtutibus, unam quandam è Cardinalibus, ac, tandē rebus gloriosæ in Patria inchoatis, coronam. Discentq; qui diligenter adverterint,

talem

talem Te, etiam ante Insulas fuisse, qualis modo futurus eras: quia etiam ante titulos, laborantium munus dignitatum, ipsius testimoniô Insignis Gentilitii, omni fortunæ die absolvendum, cui neq; reserato, in avitæ gloriæ festa, Honoris templo, licuit in gestis feriari. Dabis interim veniam, si tenuiori, quàm par erat stylo, non unius mundi factura historiam, Majorum Tuaq; merita, arctaverimus in pagina. Et verò indulgebis, si memineris, etiam terrà ampliorem solem, in brevi crystallo, non raro componi totum: & quos orbis capere nō poterat Alexandros, in angusto speculo integerrimos. Tu ergo ANTISTES Reverendissime, *licet calamum adhuc damnare poteris, sed non animum; qui se jam non styli exilitate, sed Religiosa totius Societatis JESV veneratione, sed reverenti, Diœcesani, (: ipsa vero fundatione Præsulei, in omni cultu etiam Tui Collegii :) submissione, Pontificium projicit infra pedum.*

CELSITVDINIS TVÆ

Devinctissimum

Collegium Cracoviense Soc: IESV
SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Diuturna nobis, & anceps deliberatio fuit *Magne Antistes*: quomodo? postquàm virtutibùs orbem, gloriam factîs superaveris, graviùs quod cum invidia restabat bellum, pugnantium pro injuria, de Te honorum jurgia, conjuratas ad Crucem Præsuleam in Caput Infulas, merito compesceres pacatore? Quomodo Luceoriē-sis, Brestensisq; violæ, torque nuper captivus aureo, & quod rectefactorum esses convictus grandium, Pontificum unio, Præsulei Annuli inclusus orbe.* ne ad latum quidem unguem à pedo recederes Pontificio; veluti fixũ Volhyniæ sidus, Luceoriæ, grande jubar, vitta adstrictus Antistite, quomodo, sic Te in nostram evinceres felicitatem, enodares in fortunam? ambiguô hactenus pendebamus animô. Sed postquàm, veluti indignabundo pollice, deturbato priore annulo: (quod pro meritorum viribus Atlanteis, minor hic orbis extitisset,) Vavellum, & unà cum Ducalis Mitræ rota,

orbem ſuſciperes geminum, grandiq; honorū tolerantia, majorem Cracovienſis Tyaræ Crucem, pati non dedignareris pro minore: tunc demum, quæ ante vix fieri intelleximus, cùm Tuæ fortunæ, noſtræ facta ápplauderemus felicitati, fieri credidimus potuiſſe. Primus id nimirum, venturis ſerò ætatibus, relinquere voluiſti prodigium, quod Ipſe potuiſti, etiam altioribûs compeditus vittîs, grandiori, Tibiq; pari inſilire fortunæ, inter collapſas ingenti mole, in Caput Inſulas, ſtare erectus ad Celſiſſima, tantumq; modò aſcendere, non quantum adhuc valueras, ſed quantum volueras. Vnde immenſa Tui retinendi Vòlhyniæ ſitis, immeritò hac anſa, tam anguſtorum limitum videretur; nam cum ingentem illi Tui Famã Nominis, & tantam operum ſeriem, objeciſſes, proculdubió protractæ Præſuleæ Majeſtatis gloriâ terræ, tantum Te *Antiſtitem* complecti diutiùs non potuerunt. Tibi quidem Celſior omni *Antiſtes* Inſula, animum, quem Eminentiis geris non imparem, libuit moderari; ut qui Magni Nominis plenus, utramq; facis meritîs Poloniam, Majorum ſuperſtes famæ, & grandioris ſemper fortunæ faber, Te ſolo, Volhyniam ædificares in Regnum, & orbem, adeoq; pro panegyri, iraſcente nunc felicitate noſtra, ut deprecareris ultrò ſe Tibi

ingeren-

ingerentes, & pænè confæderatas sub militari Palatinatûs Aquila, in Caput Tuum, cum mitra Cracovienses Infulas, còëuntia in dexteram peda; prout defacto & deprecabaris modestissimus, illud & maximum in voto ferens, ut omnes summasq; dignitates mererêre, nullas haberes: dispare scilicet ad ambitum sacramento, qui cum venatur titulos omnes, meretur nullos. Sed o! quàm subitò amores nostros, hâc injuriâ, in odia quædam convertisses! Audivisses, quomodo Tibi non ita pridem, quomodo Luceoriæ Tecum, omnia summa, omnia secundissima precaremur, jam imprecantes: ut & Voľhyniæ, Te retinendi, & Tibi, nobis non obtingendi, nihil è voto succederet: ut Te tot meritìs, quot virtutibûs gravem animam, tellus illa, ampliùs non posset ferre; sed pro invidiæ nostræ appetitu, (ita, enim ut moris est, hæc & nos ultima semper pressit; ut Te magnam temporum nostrorum felicitatem, *Præsulem* numeris omnibus absolutū, nemini cederemus) quod si Infulas dedignareris Cracias, usq; Pontificio torque, invitus, trahereris ad Romanas, & cum nolles dici nobis *Sanctus Domini*, dicerêre *Sanctissimus*: adeoq; quâdam Voľhyniam inter, & nos, invidiæ moderatione, nec noster, nec Luceoriæ esses *Præsul*, sed utriusq; *Caput*, & Orbis. Vt e-

nim pace Tua, verum fatear *Antistes Modestissime:* inter malleum & incudem positas, illud maximè, verberaret aures nostras, si quando diceretur, Te priori Infulæ *Joannem* sẽper, Cracoviensibus verò Tyaris, quibus pridem unicum votum fueras, & ipsius Præsuleæ ambitus dignitatis, nunquam gratiam. Reponeremus? si fortè illa Te nobis invideret Cathedra, Te olim *Regis*, *Regniq;* *Os*, clamantis vocem, tantum per orbem Poloni Nominis gloriam divulgasse, ut omnino Præsulei honoris echo, meritis, respondere debuerit, ad Rupellam. Premeremus, ávidam *Antistitis* retinendi Luceoriam, Te *Joannem:* adeoq; ad Crucem Præsuleam, non potuisse consistere, nisi in monte Vavellano. Vrgeremus, Te etiam ante Infulas, quò nemo major: Ergo, crescentibûs meritîs, debere esse, etiam *Celsissimum.* Quod si nec hæc Pontificem nobis evincerent argumenta; didicissent invidi honores serò, quod nos scire gaudemus per compendia: Te nullîs pro merito posse ambiri Infulîs. præcingi vittîs, cujus modò etiam ut insternerent verticem, cum Pontificia Cydari, conspiraverunt mitræ, æmulîsq; viribûs, gentilitiæ *Illustrissimi Capituli*, dicam veriùs Capitolii, convenerunt triplici orbe, Coronæ, nec adhuc totum impleverunt: quod se tan-

tum

tum exaggeraverint merita *Præsulis*, ut hanc quoq; dignitatem Tuam, Tua *Celsitudine*, atq; Te Ipso, solùm utcunq; putemus dignam. Tanto ambitu quid concluditur? unum illud, & nostrum; Nobis Te igitur potiore titulo deberi *Antistitem*, & nisi felicitate nostra, nullâ injuriâ, Roma invideat, non ut Luceoriæ concessum, sed jam donatum. Nobis? non quod meruimus, sed quod studuimus, ut non demerendo, quomodocunq; *Præsulem* mereremur. Nobis inquam? non quod ambitione quadam & superbiâ (si tamen adhuc piaculum est, & non Sanctitas potiùs, resolve *Antistes*? Te charismate meliore obtento attolli) meliores videamur aliîs, aut digniores obtrudamus Infulas, sed quod pares: simul tamen celsissimas, licèt adhuc, Tuæ Magnitudini, non conterminas, viciniores tamen Eminentiis, quàm illæ, quæ solùm altæ sunt: quibus si adhuc de Tua Celsitudine, quidquid addideris, jam nobis *Sũmus Pontifex*, evasisti; triplice *Illustrissimi Capituli* Coronâ, Romani Triregii, supplente vices. Dicamne ampliùs? effare calame! jubente *Præsule*. Ergone una satis fuit Infulá, vertici tanti Viri tegendo? ne dicam ornãdo. Vnus annulus, articulo Præsulei digiti capiendo? Vnum pedum, Antistiti fulciendo? Poloniam, quanta quanta est, etiam ad aras defe-

renti? Minimè verò: intendi hæc omnia debuerant, & poſt Luceorienſem, altiore Infulá, ampliore annulo, fortiore pedo, emendari: ne ſcilicet, nobiliſſimum, *Lipſcianæ* Gentis, Sanguinem ornatura, vel palleſcere, vel erubeſcere quandoq; viderentur: aut grandes, quas de Te *Præſul*, ſpes conceperat Polonia, ad minora inclinare vota, niſi cum jam robuſtiore nitantur fulcro, poſt grandia, humeris, optemus graviora. Neq; enim aliud tantum, ſuâq; fortunâ majorem *Antiſtitem*, honoris Templum, ingredi decuerat, niſi cui pro tholò eſſet, Mitra Celſiſſima. Audacter dixero! peccaret in Viri merita Roma, ſi effuſum Præſulei muricis ſanguinem, honorum, Honori, non ad aras litaret *STANISLAI*: dieq; a Cathedra, ad Cathedram, translationis feſtô, Ipsũ *Præſulem*, altaribus non imponeret, pro thure, multorum Antiſtitum imitatione colendum. Ita eſt: *Antiſtes* noſter: Noſter inquam? quia Te, Tibi, negaret *Joannem*, qui huic Diæceſi Pontificem, Severiæ, Ducem, Populo Patrem, omnibus gratiam. At crimen eſt? Crimen: ſed non minùs delinquere in grande Nomen, quàm æqualia nomini, Tua merita. Permitte adhuc explorabo ultrà calami vires Orator; animumq;, quem non uni Infulæ, ſexcentiſq; celſioribus mitris, geris non imparem, palam faciã. Pro-

dite in pag̃inam, merita *Præsulis*? primæ con- 265
ſequentium titulorum lineæ, evaſuræ, in ſummam honorum augem, claritudinis, illuſtres radii, initialia Præſulei honoris puncta; & ex illis, non jam de minimis Phyſicis, ſed de grandibus rectefactorum Apenninis, quoddam cõflatum geſtorum continuum, ſurgentis in diei medium dignitatis exſortus purpurei; prodite in paginam? Tam multi, quàm grandes eſtis Gẽtilitii *Raſtri* labores, & ætate, & merendi cõtentione indefeſſi!. Tibi, quod *Raſtrum* dediſſe videtur, poterat Senatus ipſe, quem toties magni fruge Nominis implevisti; o! decus avitum! dare vocabulum. Et ideo: quod nunquam ſpes humiles, Veſtris in geſtis, poſuerit Polonia, *Raſtrum*, quô omnium; & õnia merita collegiſtis, ternis ſuperimpoſuit Montibus, ut conſtaret: *Lipſcios*, ſive pro Patria, ſive pro optimo nomine laborantes, ne digitum quidem movere poſſe, niſi ad ſumma, ad Celſiſſima, indeq; meritorum ducere initia, quò alii, vix bene feſſi, pervenerunt. Ternis Montibus aſſociat Vavellum honor, non ut ſublimitati Tuæ *Antiſtes*, aliquid ſuperaddat; ſed ut argumentò ſit: etiam illud, infra Tua eſſe merita, quod non eſt humile. Tu verò ut admittas, non eò: quaſi attolli poſſes, qui Te ſolo, ſummus es, ſed ut ipſam eleves celſitudinẽ

admittendo, palamq; facias: non Te, honoribus, sed Tuô meritô, ipsas fastu quodam, inflari dignitates: attolli in culmina: ut licet non contermina, Tuæ tamen Celsitudini, evadant, quomodocunq; affinia, (& quantum hoc est, ad Cathedræ, Diæcesis, & Vrbis magnitudinem) tanto Præsule, saltem non indigna. Quô tamen jam nomine, sive montes hos, è quibus, nostræ *Rastra* prospexerunt felicitati; sive Te, o! diuturnum omnium votum! expectata diu, populorum felicitas! imploratum cælitus Numen *Antistes*! appellemus? hactenus contendebat oratio: & nisi Domus Tua, grandium meritorum, quæ in omni legistis campo, obiiceret acervum, hæreret. Acuerint proinde jã alii, aciem ingenii, ternumq; insignîs gentilitii Montem, supra Cælium, Palatinum, Aventinumq;, elogiô efferant. Nobis, non quia debilior aliîs, calamus est, sed quia minimæ *Societatis JESV* vocabulũ, pumiliones esse voluit, non Gigantes, hinc in Tui Honoris Cælum, montes, non iactabimus: ne nimirum; hîs terrarum gibbîs, deformior evadat oratio, tandem, in Tuo obtutu *Præsul*, nec vera appareat, nec recta: quæ si non sublimis, saltem ãbit esse venusta, Cogitent? quibus par Tuæ laudi ingenium, omnemq; dignitatum florem, & auream honorum messem, ad *Rastra* cogant:

gant: majora tamen de Gente Veſtra, Teq; ipſo dixerint, ſi fructus, quos ex vobis percepit Polonia, ad paginam collegerint, non folia. Nam licet glorioſum eſt, evolutîs Domûs Veſtræ annalibûs recenſere Qui, & quales fuiſtis, glorioſiùs tamen refricatîs voluminum capitibûs, commemoraſſe, quid, pro Religione, Patria, Senatu, Regibus, Regnis, feciſtis? Viros enim, quales *Lipſcii* eſtis, & nomen, & facta probant. Nobis proinde, licet mediocre ingenium eſt, animus tamen, de Te ſcribendi, major viribûs, qui tamen, tam procul ab aſſentatione, quàm longè à faſtu. Talem Te itaq; Tibi, ad elogia offerimus *Antiſtes* qualis es: non qualem effingeret ſimulatio, ſed qualem efformarunt merita, non quod ex arte, ſed quod ex natura vellent optimum; Cracoviæ *Antiſtitem*, Poloniæ *Optimatem*. Talem, qualem utrôq; orba oculô agnoſceret etiam invidia, ſi illi quando poſſes occurrere. Talem ſcilicet proferimus? Vis Tuæ faciem noſſe panegyris? Recludimus! ſtat apertus Gẽtilitio *Raſtro*, rectefactorum campus. Tu Cãpi gloria, Tu meritorum grande opus: Et qùod totius Tecũ negotii, Caput eſt: Tu abſolutiſſimus omni in Campo honorum meritorumq; labor, & conſummatus.

Iam itaq; inter obærati animi conſcienti-

am, & suadæ nostræ imbecillitatem constituti, nitimur tamen, si non ad prætervolandum calamô, saltem fessa oratione adeundum, Campum omnem: sive educatas in trabeis rosas, sive comentem altaria florem, violas, messemq;, sacræ quoq; Cereri maturam, sive clypeatam Virorum segetem, invitaturi sub Rastra, lecturi in serta, Tuo *Præsul* vertici imponenda. Quamvìs verò Sarmatæ sumus, & à primo statim ungue in Aquilas educamur, hìc tamen ubi de Gente Tua, rerumq; gestarum gloriâ, agendum erit, volucre ingenium ne speraveris: nam quemadmodum merita nulli (præterquam Vobis) ita & suum meritis elogium, non venit è facili. Lentulos tamen in decurrendis gloriæ Vestræ Appiis, non eò appellaveris, quod tardiores futuri simus referendo: sed quia Vos celeriores, in omni campo, pro Religione, Patria, & vel ipsis Superis laborando: adeò: ut non tam meritorum Olympia, segniorem fatigent pennã, quàm Vos in stadiis gloriæ Athletæ felicissimi, idest quædam, ingentium operum constantes causæ. Vtinam verò nobis, tot esset facundiæ, quot voti! Tam Illustrem *Lipsciani* Nominis Famam, quomodo Tua *Præsul* jubet celsitudo, ita prosequi vellemus: ut doceremus, tanta Vos semper gessisse, quibus & gloriâ Ve-

ſtrâ digni, & tanto Nomini pares ſemper eſ-
ſetis. Sed cum vota etiam noſtra, in quendã
breviorem Gentilitium Inſigne, arctet manipu-
lum: hæc unica, & integerrima Gentis, & Tua
laus eſto, quod ex toto laudari nunquam poſ-
ſitis, elogiorum materiâ, ingenium ſuperante.
Vnde illa tantũ redordimur: quæ nõ virtuti Ve-
ſtræ debeantur, ſed quæ ferre poſſimus; ar-
gumento: ut in elogio Magnorum (quales
Vos eſtis) non pæniteat nos temeritatis, ſed
ſolum pudeat tenuitatis. Antequàm tamen
laborantis hactenus pro publica felicitate *Ra-
ſtri*, immortales gloriæ Campos, felicia ju-
gera reſerabimus, nitendum primo eſt, non
jam in vetitum, ſed in arduum Nominis Ve-
ſtri culmen, ſublimem (& qualis nonniſi na-
ſcentis Solis eſt) *Lipſcianæ* Gentis orientem,
ſi non ſtylô humili, ſaltem laſsîs oculîs adeun-
dum. Sacri honoribus Luci, Dodonæ, & ſi
quod grande ſylvarum nomen eſt, luſtrandũ,
pulſandum, evertendum; donec arbor inveni-
atur, prima *Raſtrorum* Parens. Compertum
etenim eſt *Magne Antiſtes*; eôdem Tibi Lucô
inſigne gentilitium, fortunam incidiſſe, quô
ſceptra Regibus, Ducibus clavæ, ſcipiones
Mareſchallis, Senatoriâ ſecurî, inciduntur. *Li-
pſciana Raſtra*, illa nonniſi crevêre arbore,
quæ non uni Regno pretioſiorem Xerxis Pla-

tanô, projecit umbram: maximè cum ardor belli ureret: quæ Regum etiam Poma protulit; cujus singulæ frondes, hactenus suspensam sæculorum tenebant, & tenent admirationem, frons fuerant Senatuum, nec humilium lignorum strues, sed materies curulium, soliorum ædificatio. Illa Arbore? in qua Reges nidificarunt Aquilæ, ex qua tot simulacra antiquitatis, tot vivas immortalis gloriæ statuas, Regnorum Ioves Statores, & pænè Numina, fortuna effecit faber. Etsi non humile elogium est: illa dicam Arbore? sub qua non hominum fungi, sed grandia Virorum robora, ceciderũt. Talis tantaq; Arbor, quæ longâ ætatum successione. Vobiscum in fasces, & tantum non in stirpem jam crevit Regiam, quærenda est. Nec longa calami contentione, subimus honorum Labyrinthos, felices Thesei, Vestrarũ purpurarum ducente filo. Procul ergo Ariadna Rhetorum! fefellimus errores! hac itur in Bohemiam, jamq; in meta stamus. Noscimus, o! noscimus! fatidicam Polonæ felicitatis Arborem, immortalem gloriæ laurum, undiq; oppressam honoribûs, insessam titulîs, sublimiùs tamen crescentem omnibûs palmã, hôc solô Parente, natam. Fallor! Nunquàm enim humi reptastis *LIPSCII*; veluti quædam Regnorum Numina, augusto partu edi-

ti su-

ti, ſupra terras, priùs grandes, quàm nati. Inveniſtis naſcendo faſces, inter faſcias, dignitatum cuneos, in cunis: Meliores Aſcanii, omnem Illuſtriſſimorum honorum radium in ortu; quibus ut vitam contulit, idem & dignitatem dies. Nunquàm non invidendi Bohemiæ; niſi Vos in Polonam felicitatem genuiſſet. Diu tamen avidam Veſtri Nominis Sarmatiam, abſtinentiâ quâdam, exacerbabat Bohemia; argumento: non uni Vos Regno ſapuiſſe, qui nunc omnia, famâ Domûs ampliſſimæ impleviſtis. Iamq; ſtruthionum more, ipſô tunc planè bellorum nutrita ferrô, langueret Polonia, niſi aurei ſæculi Pater, ruentis Lechiæ columẽ *Venceslaus*, Bohemicæ, ac Lechicæ Coronæ gemma, (quo Duce Vos quoq; ſalutavit Polonia venientes) ſuam purpuram, cordi Sarmatico oppoſuiſſet, in deliquiis exiſtenti. Tantum ſcilicet meruiſtis Præcurſorem; quod nimirum tutelaria Poloniæ Numina, Pontifices, id eſt: *Chriſti Domini*, ſperaremini in Adventu. Non aliô caduceô ducti, niſi ſceptrô? futuri ſcilicet, vel Regnorũ in ſoliis, vel ſacrorum Reges in Cathedris, Nõ alio Duce, niſi Rege? hunc enim tantum ſubſequi poteratis, præire aliis. Quàm grandis vobis vel primus in Poloniam paſſus! intelligite hæc, magna Nomina *Lipſcii*: quàm Cel-

sissimus! Regum vestigiis institistis. Iam tunc in Ipsum honoris Cælum salire poteratis, nisi
272 magis elegeritis, Poloniarum terris, esse integerrimi homines, quàm SemiDii. Iam sæculorum gloriam transcendere, si quantum fuistis, tantum dici de Vobis pateremini, non solum magni momenti Viri, sed etiam ætates meritorum, absolutissimi rectefactorum anni, & quoddam talium infinitum. Quia verò singuli gemmæ, veluti parente conceptus pretio, Auroræ fuistis sanguis, nasci Vobis non contigit Poloniæ, nisi inter bellorum fulmina: & congruum fuerat, corpus inter Reipublicæ & animam, pænè moritura, Vos tunc obtigisse uniones; ut Regnum, quod in partes fata dividerent, Vobîs ipsîs, in quoddam constituissetis totum, nec morte, nec Marte disuniendum. Referamne? ferrö potiùs, quàm calamô scribenda sæcula, & tantum non integram chalybeam Poloniam, quam primo offendistis, *Rascones*, Viri Aurei? ut redderetis cariorem, & modo vel hostibus ipsis, amandam. Volvebatur tunc orbita anni, trecentesimi, supra millesimum, cum fatorum inclementiâ, Sarmatæ, extra ordinarium invidæ fortunæ cursum, & tantum non metam processimus. Quos inter Concives nunc, Litavos, Russosq; numeramus, timuimus antea hostes, & sensimus.

Tra-

Trajanô truculentior Pogonia equô, Roxolano Halkone Duce, dicam veriùs? Vlysse altero (utiq; illi etiam, & mores, & fides Græca fuerant) diu trux, nostram, stabat ante Trojam; & controversum fuerat: avenamne meditaretur, an nostrum jugulum? Impatiens freni, militaris licentia, omnem Sarmatiæ decurrebat campum; quasi grande aliquid, inopinatumq; properaret Poloniæ; at fata undiq; convehebat. Nec meliorem sensit tunc Dobrżynensis, Lancicienstisq; tellus. Sensit Pogoniam? (quod aliquid sublimè præsumeret) etiam cervicibus inequitantem. Et veluti omnē Sarmaticæ Aquilæ nidum, infandum vellet stabulum, tenebat omnia, occupabat singula, terrebat universa, Sonipes metuendus: adeo: ut cum jam satis terræ, montes, saxa ipsa, efferum pulsatorem palpitaverint, etiā Regi fluvio Vistulæ, sua fata timerentur. Deerant, qui effreni licentiæ, habenas injicerent, impetumq; moderarentur, terrarum populatorem. Licet enim, tunc Viros etiam numeraverit Polonia, plures tamen utramq; in partem nutantes (veluti fato annuerent) aristas, quàm fortia robora; plures, qui hostem fugerent, quàm fugarent. Vos interim felicitati nostræ, meditabatur fortuna: & quod inexpectatum aliquìd, datura esset in *Rasconibus* Po-

loniæ, diutiùs deliberabat. Nunquàm etenim repente prodeunt grandia. Perituros tantum fungos, nox una parit; graviùs excreſcunt palmæ. Decenniô incumbit natura, antequàm Elephantes enitatur. Fragmento hominis, & minoris momenti pigmæo, vel inſtans ſufficit; pro Alcida, tribus Lunis, laborandum eſt. Ita etiam longa ætatum deliberatione factum eſt, ut *Raſcones* ſalutaverit Polonia, qui ſemper eſſent *Lipſcii*. Veniſtis tandem, Cælone delati? an Bohemia? haud diſputo: unum intelligo: Ex quo Sarmatæ eſtis, & Numina Vos Lechiæ egiſſe, & homines, utrôq; titulô ingentes, & vel ipsîs optimîs, meliores. Concede quæſo *Antiſtes* ſpatium calamo! ſtylum paulisper ad elogia acuam, quomodo olim Majores Tui, enſem ad prælia. Conſtat enim, æquè olim Aborigenes Tuos, fortes fuiſſe pro armis, quàm Te modo hæroicîs virtutibûs infractum pro aris. Idem enim omni Campo, ſingulis Vobis animus, quàmvis Tibi ubiq; majus meritum. Polonum illum Curtium, lõgiorem factîs, quàm Nomine virum, teſtem appello Lokticum. Quo ille Marte, quibus armis, tot bellîs, quot periculîs innodatam, priſtinæ felicitati, evicit Poloniam. Dlugoſii, Cromeri, Starowolſcii, faſtos evolvite *Lipſcii*. Vbiq; Lokticum Macedonem, Vos ad reſcin-

dendum

dendum bellorum nodum, legetis gladios, scilicet; non minùs acres ad prælia Viros, quàm metuendos, quibus Spartanorum more, nec pectus, nec enſis vaginâ clauditur, ubi Mars fervet in aperto. Vobîs ſcilicet Hector ille, & Virîs pugnavit, & viribûs. Nec aliter percuſſit fædus cum hoſtibus, niſi Veſtrarum à filo purpurarum, non unus penderet mucro, oppoſitos ſupra Domocles. An enim veluti ad ſecundam Trojam, Litavum ad Trojanow refrenaſſet Pogoniam? ſi Vos fortiores *Equites* abeſſetis, quibus tam facilè frena licentiis injicere, ac vincere: idem colla hoſtium, ac equum conſcendere. Quinque ſolum de Gente Veſtra *Raſcones*, cum Rege illic, pugnaſſe pro Rege, faſti referunt Polonici. Credo: quod orbem viciſſet *Vladiſlaus*, ſi plures fuiſſent, cum quinquè tantum, & illum hoſtem ſuperaverint, qui à tota Polonia, putabatur invincibilis. Cecidiſſe tamen unus debuerat: an quod hoſtem opprimeret, etiam cadendo: an quod terrîs, & è vivîs fugientem, ut poſt funera etiám perſequeretur, ſibi animam voluit evolaſſe. Sed proniùs ex injecto pectori jaculo coniicere eſt; quàm cordi Vobis ſint, etiam vulnera pro Patria *Lipſcii*: ut & tela intimè excipiatis, & vel ipſas pro Polonia ametis mortes. Quàm grandia Lechiæ ſidera! So-

leſne dixero? an lunas: pro ingenti nominis fama, uſq; ad mortis deliquia laborantes. Fleri tamen haud potuit, qui tunc occubuit *Raſconus*: quod tumulus ipſe, lætitiæ quandam, non complorationis cauſam ageret: ridente ſcilicet Polonia, ad ingentes vulnerum plagas, terga vertentem hoſtem, cicatricemq;, vix uno, & altero orbe, obducendam. Meritò tamen inter ſacra honoribus lipſana, cineres hos adoraret Sarmatia, ex quibus, tot Heroũ Phænices evolaſtis *Lipſcii*. Tumulus hic, tantum non toti Poloniæ laboravit cunabula, imò etiam ipſis Litavis, Ruſſiſq; hoſtibus, ut deinceps properante fortuna partum, renaſcerentur in Lechos, eſſentq; Fratres nobis uterini, qui ante hoſtes. Interim tamen dormiat laurearum in umbra, ſylveſcente in oleas Poloniâ, vel ab excepto vulnere, Heros integerrimus. Vtiq; mori nunquam poterat? qui in Martiali campo cum omnia egiſſet, victoriis fatigatus, quievit tantum; adeoq; pro innato ad grandia molienda animo, cum nihil in acie agendum cum hoſte reſtaret, animam egit pro Patria in tumulo, ne quid vel in ipſa morte pro illa non egiſſet. Acerrimus ſcilicet otii hoſtis, & quales nonniſi Parentes Heroum Lunæ ſunt, quæ laborant etiam moriendo. Evigilaturus brevi, in Majoribus, vel ipſô periculô viris,

qua-

quales *Lipſcii* ſunt, futuruſq; major homine, quia & meritîs, & gloriâ immortalis.

Donec tamen in ſummum *Lipſciani* Nominis culmen, ſeſe promoveat, Tuoſq; tandem ad pedes venerabunda ſuo ambitu devolvatur oratio; *Antiſtes Reverendiſſime*: fortiùs adhuc nobis inſiſtendum eſt, primamq; Domûs Veſtræ in Polonia plantam, citrà oratoriam tranſgreſſionem deducendum. Inconſultùm enim eſſet Celſiſſima moliri Oratori; ſine fulcro, maximè ſi illud, grandia sẽper Patriæ columina, *Lipſcii*, ſubſtituitis. Nos verò non quod ſublimè aliquid de Gente Tua calamô ſtatuere cogitemus (hoc enim ſolus tãtũ potes, & facis) ſed quod ſolidum, ideo ad fundamenta recurrimus. Sufficit enim in elogio Magnorum, talem compoſuiſſe orationem, quæ non nutet, & vera, ſit potiùs, quàm elata; neq; fulmen metuat, quód ſuperbos plerumq; aſſentatores ferit, quibus dicitur, ſcribunt multa, pauca probant; dum quôdam in ſacerrimam orationis artem mendacii piaculô, defectûq; peccent veritatis; quaſi vel neſciant, vel non poſſint placere aliter, niſi mẽtiendo. Ante Lunam, Solemq; cum Arcadibus Anteceſſorum vagiiſſe infantiam, divulgant alii, qui laudant. Et iſtud eſt, compoſitô ad jactantiam vocabulô, lucem familiarũ

excessisse, fidemq; non invenisse; istud Magni Nominis umbras, in Solem publicum edidisse; istud: prægnantibûs fabulîs, eniti fatuitatem, conceptam Parente fastu. Vobis *Illustrissimi Lipscii*, ab ostentatione vetustatis effictas ceras, non accendimus per longa atria: quia adscitîs nunquàm claruistis splendoribûs, Illustre Genus, (nisi quod nunquam defuisset) etiam facturi. *Insigne* Vestrum, omnem magni Nominis florem, congenitum habet, nõ adlectum. Triplex cui *Rastra* eminent mons, uterinam sublimitatem generis, non ex fabularũ atomis adoptivam. Vnde vel eò, omniũ sæculorum Viri Principes, quia cæpistis, non ante tempus. Cum Regibus, delati in Poloniam, quanta nascentis familiæ claritudo, oriri cum Serenissimis? Hoc erat diem statim dixisse honoribus, ut Vobis coram *Illustrissimi* comparerent; & quod grandium convincerentur meritorum, penderent ab humero in trabeis, ad rotam fortunati Ixiones, darentur in annulis, quà vittis, quà torquibus, adstringerentur *Lipsciis*, essetisq; ab origine, quædam honorum tolerantia, non quod volueritis, sed quod pro excessu quodam meritorum, pati titulos debueritis. Regum & humero descendistis in Poloniam; quanta Personarum gravitas! illîs deferri manibùs, quibus Regna succollantur.

tur. Crediderim modò primùm Poloniam di-ctam a Polo, cum Illuſtre Nominis Veſtri Aſtrum, Atlanti *Venceslao* niteretur. 279 Nihilominùs, quia ſpe majores, Vobis tamen pares, obtigiſtis Poloniæ, jam ampliſſima Vrbs, & Regum Coronatrix Cracovia; veluti felicitatem ſuam capere non poſſet, intendi debuerat, mænibusq; amplioribus dilatari: ut conſtaret, præſenti fortunæ, proludere illa præſagia, quantum nimirum, omnem lapidem moturi eſſetis *Lipſcii!* qui famâ Nominis, meritorumq; gloriâ, Poloniam, redderetis ampliorem. Quanti futuri *Antiſtites* Cracoviæ! qui non populum tantum, ſed ipſam quoq; urbem ædificaretis, eſſetiſq;, Regnorum Conſtitutiva, & quædam eſſentiæ, ſine quibus tota, neceſſe eſt omnino labi. Tales ſperabamini, tales eſtis: & quibus majores, utilioreſq; Patriæ, effingi quidem poſſunt, ſed non eſſe. Vel ſi quando ſperarentur, adhuc tamen Vobîs minores futuri, eo; quia Vos primi. Præſentire olim non dubito Vrbem *Antiſtes*, quam ne modo arctaſſes, meritîſq; in anguſtias redegiſſes, ſe ipſam dilatare: neq; enim Te talem, tantumq; caperet *Pontificem*, ſi minor eſſet. Fuerit intereà ſuum ſaxis ingenium, & mens feſtivior lapidibus, quos olim ad Amphionis cytharam ſaliiſſe, inter Vatum ſomnia audivimus. Extrà commentum

eſt,

eſt, modò etiam, tot ruinîs dejectas urbîs cautes, veluti quodam inſolitæ lætitiæ ſenſu tripudiaſſent, poſtquàm Tui Nominis fama, inſonaret. Quaſi præſcirent *Præſulem* ſalutandum, difficiles etiam flecti lapides, ſe humi proſtraverunt: utq; (qualis Præſulem decet) reverentiam exhiberent, in terram uſq; corruerunt. Præſentia etiam memoramus, ut fidem faciliùs adſtruamus præteritis, non quod ludimus ingeniô, ſed quod noſtræ Tecum *Præſul*, applaudimus felicitati. Neq; adhuc totum eſt, licet aliis ad elogia, hoc etiam abundè ſatis. Ampliora meremini *Lipſcii*, quos veluti Aſtrîs concretos, & à communi náſcendi ſorte in Polonam felicitatem exemptos, Gentilitium Inſigne, vix genitos, jam inter ſudata ſæculorum opera, ætatum ſublimes adlegit labores. Idẽ, qui Poloniæ, Regibus etiam Vobiſcum obtigit Annus gratiæ. Peccaſſe non dubito, prioribus ſæculis in Principes fortunam. Crimen verò fuerat, orbam utrôq; oculô ſortem, capacem plurium coronarum verticem, non vidiſſe. Errabat proinde per tot, quin plura capita, Hungaricum diadema, cui ſtatim *Venceslai* viâ Regiâ, eundum erat. Difficiliùs tamen aurea huc volvebatur rota, graviùs præcluſa ad ſolium recludebantur oſtia, quod nimirum *Lipſcii*, in quibus cardo rei vertebatur,

tunc

tunc adhuc defueritis; sine Vobis enim, tam aditum ad solia, Regibus, quàm excæcatæ fortunæ oculos, non facilè aperire. Vos soli estis, quibus, & per quos Regna patent. Neq; posse faciliùs terrarum Dominos in Celsissima, nisi è terno Stemmatis Vestri culmine insilire. Ita est: dictis subscriberet *Venceslaus*, si hìc loqui posset. Processit ille Polonus Annibal, sed jam non sine Vobis exercitu, non sine castris, in Alpes Hungariæ, quibûs nimirum, labantem in arduo Regni fortunàm sustineret. Admovistis pares magnis ausibus vires, tanto fortiores Annibale, quanto difficiliùs fuerat Alpes ponere, (è quibus Orbis Caput aurei, *Vencestaum* videretis) quàm frangere. Per collesne? an hostium colla iveritis? haud diffiteor: cum intelligam; non minùs Montes, quàm adversas mentes, tunc Vos sub pedibus habuisse. Neq; iste levioris fortunæ saltus fuerat, sed gloriæ Vestræ ingens gradus, qualem & alter quidem facere potuit, sed qui pede incessit Giganteo. Advertitis non dubito passus hos, Heroum Successores, Majores Patribûs Filii, & quædam altiora præeuntium Aboriginum vestigia *Lipscii!* & cum interim à prima in Poloniam planta, vix pedem moveritis, ne uno Vos gradu, à summis distare intelligitis! Ad quæ verò? (ad Tuum *Anti-*

ſtes pedum, à fortiori arguo) non pertigiſti gloriæ faſtigia, qui tot decurſu annorum, meritorum paſſum, ultra ſumma omnia promoviſti. Viciſti, Viciſti! omnium retro Majorum Tuorum gloriam, & quæ illi pro Regno, Regibuſq; inchoaverant, Tu conſummaſti. Quia verò necdum geſtorum Tuorum in atria, reptante calamo pervenimus; & jam lacteâ Heroum, Majorumq; Tuorum viâ, laſſa eſt oratio; Cogita! ubi cum Præſulea Eminentia, Mitræq; Tuæ Celſitudine, luctandum erit, quæ nimirum fumoſas Anteceſſorum umbras, grandium ad inſtar molium, non tam projicit, quàm in ſe conſumit, nonne cadendum erit? Succumbendum Magnitudini potiùs, & non tam excuſanda tenuitas, quàm ſub terno Stemmatis Tui Mõte, deflenda temeritas. Sentimus, ſentimus! *Præſul Summe*, tanti culminis aſcenſui ſtylum imparem! ſentimus pericula, audemus tamen! non quod alta cum Icaro petamus, ſed quod omnem, adeoq; & orationis virtutem, ſitam eſſe didicimus in arduo. Condeſcende itaq; honoris ex alto, votis calami *Antiſtes Maxime!* Ibimus jam, quà itur ad Te, per ſumma, per Celſiſſima, per ingentia: & ne in proceſſum infinitum impingamus, per compendia. Priùs tamen, non tam immorando, quàm prætereundo *Lipſcianæ* Domûs merita,

labores

labores in Patria sæculîs memorandos, de Nomine ingentium Virorum, hoc tractu attingemus: non quasi obvii sint, sed quod tam grãdes, ut præteriri non possint: quibus cum Tua decora, cum Tuarum summa omnia virtutum, cum Te ipsum addideris, jam fastigium quoddam meritorum, laborum labor, & opus calami evasisti, consummatissimum.

Gentilitia & quà gloriæ usibûs, quà Patriæ omni in campo commodîs, celeberrima *Lipscianæ Domûs Rastra*, non alios Genti Vestræ videntur collegisse manipulos, nisi fasces, non alium florem, nisi purpurarum; non aliam messem, nisi auream, de qua hactenus benè merentium sumatis panem, vel illis ipsis appetendum, quibus orbis, & Mundi Mappæ, insternunt mensas. Et ideò quia sublimes omni in campo Gentilitii *Rastri* labores, in montes, ipsi planè affines Cælo assurgunt: ut constet, semper Vos, nisi moliri grandia, æquè parvitatem meritorum, ac Domûs infantiam ignorare. Vos maximos, ac natos, neq; progressu ægrè reptante excelsos, sed quà nomine, quà gestis, ab origine summos, & utrôq; æternos magis, quàm antiquos, hominum Numina, quàm homines. Non invidemus Romulo Vrbem, septenîs jugîs, supra terras, & omnem Europæ Taurum, evectam. Cum *Il-*

luſtriſſimi Lipſcii Gentilitium Inſigne, & orbem Lechicum, ſic pænè erexeritis; tantò majores Romulô, quantò difficiliùs in erigendo orbe laborare meritîs, quàm in Vrbe. Civibûs Auſoniîs magis plaudimus Quirites Lechici, ſecuriùs enim ſive Polonas, ſive honorum Aquilas, nidificaſſe didicimus in Veſtris clivis, quàm ſi in Palatinis, Aventiniſq; montibus; infantiam elegiſſent. Innuam hìc nonnullos de Gente Veſtra, qui veluti Celſiſſimæ Domûs faſtigiô, non contenti, & honorum & meritorum culmina adjecerunt, dum ſe ipſos: & cum ſublimem *Lipſciorum Familiam*, non paterentur ampliſſimam, voluerunt feceruntq; immenſam; non tamen ultra ſpem, & vota, fortunæ verticem, & ſumma omnia prehendentem. O! quales, quantiq; Viri, vel prima fronte occurritis! non condendo, ſed conſtituendo etiam Poloniarum Regno, non impares. Dicamne? Abſit calame: Ipſius Nominis famâ volucrî efferendus eſt, non pennâ, ad lituum declamandus, non ab ore *Bronislaus*, ſe ipſo vocale nomen, tacente lingua. Arrigite ergo aures, peroranti meritîs Viro, grandia Nomina *Lipſcii*? quæ nobis Magnorum (& qualis Vos decet) more, tantùm in pedibus conceſſiſtis. Grande aliquid pro Domo locuturum, etiam poſt fata auſcultate.

Quæ

Quæ verò illa ad Gentis majeſtatem Viri vel in ipſa morte facundi eloquentia? Fidem Superum! quàm clara! quàm ſublimis! & honorum, meritorumq; magìs copiâ conſtans, quàm verborum. Siluerint Roſtra: *Lipſcianum* Nomen, & gloriam Bronislaus hic, abundè ſatis amplificavit. In Archicapitulo Gneznenſi, ille caput, & rerum Apex: duorum Archi-Antiſtitum, gemma Annuli, & tantum non tertius ab Iove Ajax. Ioannis Gratia, Henrici, ex Principibus Legniniis, honor Celſiſſimus: ne dicam utriuſq; infula; niſi majus eſſet, utriq; Virum ſuperſtare Tyaræ, quàm eſſe. Dignus tamen erat non ſemel ferre Infulam, cujus poſt iterata Antiſtitum funera, bis pondus tulit, illâ virium, illa ſtrenuitate animi, ut geminatîs vicibûs vacante ſede, Pontifex, ne ſemel quidem vacare videretur. Procul Eccleſiæ, procul famæ aberant pericula; quia hic, cui Grex, committeretur, cum Provincia, & vigilantiâ Paſtor, & Nominis ethymô, audiebat Bronislaus. Vnum propè fuerat, ut Vrbs, quæ Polonæ Aquilæ nidus eſt, ſuum in illo contemplaretur Solem, exploraret ardoribûs pupillam, non uni Cardinali Galero, temperandis; niſi poſtquàm merita Romæ purpuram texuerint, Parca, vitæ filum properaſſet: ut ſcilicet, qui geſta, Nominiſq; glo-

riam tantùm per orbem dilataverat, breviorem
& Laconem vitæ egiſſet orationem: Vir, non
286 minùs à fortuna, quàm vel ipſa à morte flen-
dus, cum videri, audiriq; deſiit, Necdum ta-
men eadem, quæ vitæ *Lipſcianæ* etiam glo-
riæ periodus eſt. Longiori pneumate, Gen-
tis Veſtræ decora, fatorum ultra confinia pro-
tenditis: Et veluti mori neſcii, ſimiliores Di
is, quàm mortalibus. Morbus aliis, Vobis vel
ipſa ægritudo, fractis pro Patria, pro Religi
one viribûs decumbens, labor eſt; mors ipſa,
æternitatis pulchrum facinus. Adeò: ut ſuſti
nendo orbi, laſſi etiam Atlantes meliùs va
leatis, quàm ille, quem Patriæ ſalus nusquam
preſſit, Domus Veſtra, quia infracta ſemper,
infirma nunquam: & tunc vel optimè valet ad
omnia, dum vulnera dolet Populorum, Patri-
æq;. Intellige *Antiſtes Modeſtiſſime*, non i-
deo ſe hic ſtylus exaggerat, quaſi Gentem Tu-
am, Teq; ipſum, cui præter æquale, cum ho-
minibus fatum, omnia communia cum Divis,
à mortalitate vindicet, ſed quod eô ipſô, ſolîs
Vos tantum Immortalibûs minores Dîîs evin-
cat, non quod longiorî digni vitâ, ſed quod
pro ingentibus in Patriã, Religionem, Superos
ipſos promeritis, non indigni æternã. Tam
grandes, quàm ſancti, & hominum exempla
potiùs, quàm homines. Incedimus ultra: per-
mitte

mitte calamum feſtinantem: haud tamen ali-ter fas eſt in Tua *Præſul* penetrare atria, quin ad trabeas offendat ſtylus, quas diffici-liùs præterire, quàm uno agilioris Fortunæ ſaltu, orbem tranſcendere & aſtra. Qui ille primo ſtatim in obtutu *Lipſciani Nominis* fulgor everberat pupillam? Parce *Dux Cel-ſiſſime Generis Tui* claritudinem curioſiùs ſu-mus intuiti, & mox demerſi lacrymis oculi acutiùs perſtringere nequeunt felicitatem, quin veluti ad ſudum diei mediæ énerventur. Quoties tamen animô, quoties oculîs ad lu-cem Domûs Tuæ advigilantibus, beatum il-lud Poloniæ Caput, titulorum radiis inſigne (: *Sventoslaum Lipſcium* intelligo:) in ho-norum Templo accensîs Domus Veſtræ Ce-rîs, majori Fortunæ Aræ imponendum, quo-ties inquam oculo obverſamus ſpectatore: occurrit equidem plena Májeſtate, talemq; mente effingimus qualis erat. Ne verò lon-gum Oratoribus faceſſeret negotium, omnia laude Vir digna geſſit; ut doceret, pluris eſſe digna encomiis agere, quàm laudari. Tene-ram illi ætatem inter Florum Reges Fortuna implantavit: argumento; quanta ſpes fuerit Poloniæ non in herba. Nec fefellit; vel ex primo enim annorum flore mella ſuggebant non apum, ſed Reges hominum, quibus Pa-

triæ condirent amarores. Iam nobiliores ef-
formabant Ceras, quas olim vel Honor Se-
288 reniſſimus in Fortunæ Pantheo titulis ſuccen-
deret Illuſtriſſimis, vel (: quæ etiam felicita-
tis oppreſſio eſt:) in poſteris olim *Lipſciis*,
quà Pontificii, quà Cancellarii premerent
Annuli ſignatores. Ita ſcilicet primam *Sven-
toslai* Infantiam examinavit aula Bathorei,
& aurô deinceps cariorem Poloniæ Virum,
approbavit Lydius Stephani. Niſi enim tan-
tum meritîs in Regem Regnumq́ valeret,
haud Gentilitio Palatinatûs Bełzenſis Grypho
pretioſum Poloniæ depoſitum, Regum mo-
nile, conſiliorum theſaurus, egeret cuſtode.
Vt vero plus hominem homine æſtimaret
Polonia, ad Iudiciariam Bełzenſis Themidis,
Capitaneum vocavit, libram, tanquam Ro-
manum putaret Aurelium & non Sventoſla-
um, hoc ipſo fortunæ prodigium, quod ſi-
lentis auri naturam exueret, dum vindex in
crimina tonaret. Aureas tamen pluere vide-
batur ſententias, etiam cum ferri fulmine ſce-
lera feriret, adeo; ut illi etiam, qui dolerent;
Fortunam pati crederentur; vindices enim
Iudicis plagæ dare non poterant, niſi pretiū.

At quod in Tuo olim Abavo tot Infula-
rum capite non Severiæ tantùm, verum & E-
piſcoporum Principe Celſiſſimo *Andrea Li-*

pſki

pſki Fortunæ ſtudium? cogita Antiſtes. Quot quot tamen eſt, iterum & allaborantibus Viri debetur meritis, & Tuæ dicitur Majeſtati: adeo; ut quantacunq; geſtorum felix gloria fuerit, omnis in Celſiſſimum Abavum redundet, & ex eo ſucceſſione quadam in Te refluat, creſcatq; Andreas in Ioanne. Adhuc tamen, licet tantam Poloniæ felicitatem, tantam clariſſimo generi lucem Andreas auxerit, Tu tamen Antiſtes noſter, ultra hoc, Te quoq; ipſum addidiſti, ut poſteris ſuperaddendum nihil, præter Tui imitationem reliqueris. Agebat adhuc in humanis, quanquam dubium fuerat, potiorne illi pars Cæli eſſet, an mundi? magnine nominis plenior, an Numinis? Abavus Tuus, & unus, omnem in ſe collegiſſe Virum credebatur. Novum ſui ævi prodigium ſpectavit Polonia, unum Antiſtitem, & ſimul quatuor Pontifices in uno, unum *Lipſcium*, & omnes Senatores in ſolo; quod adhuc minus eſſet ad Majeſtatem Veſtri Sanguinis, ſi unus non eſſet ſupra omnes: quia ſolus numero, & Caſtra dignitatum, & exercitus honorum, & ipſe legio meritorum. Primo ſtatim aſſultu dum plerumq; ægriùs luctantur alii in ſublime, propior Regali acceſſit ſolio, tam cordis, quàm mentis interpres Coronatæ, *Procancellarius*, & Delphica a-

nimavit oracula, quibus non tam similia pro-
mebat responsa, quàm altera. Adstabat Re-
gibus, & palam fuerat, quantum Capite e-
mineret, illis quoq; qui sederent, tunc etiam
curuli non indignus; nisi æquè gloriosum fu-
erit, stare pro Patria, Regibusq; (: cum & Iu-
piter inter Capitolina Numina nomen Stato-
ris amet:) ac bono Patriæ incumbere. Ne
tamen diutiùs superbiret homine *Procancel-
larius* honor, irâne an invidiâ? (: tanta enim
de Vobis semper titulorum bella:) dignitati
eripuit Virum, dignitas altera, & major ho-
nor minori. Invanum tamen pugnatum est
de meritis inter sigilla; nam ubi contenderet
utrumq;, evicit neutrum; Præsuleis enim
Crucibus potiore titulo suus debebatur An-
dreas. Iamq; e voto in unum, peda quatuor
convenerant, utq; Antistitem Cathedris, Se-
natorem exciperent Curulibus, magno impe-
tu institerunt. Quis dubitet? tantum Calamô
promeruisse *Cancellarium*, ut inter Conscri-
ptos Patriæ Patres non tam potuerit, quàm
legi debuerit. Luceorienses Brestensesq; In-
fulæ primò Virum notarunt a Capite. Intel-
ligitis? quantum illud Præsulei verticis cul-
men, nisi a geminis Tyaris, a pedo duplici
adeundum. Conjicio: ingenium Antistitis
non uno Capite majus, cui bina Infula debe-

batur,

batur, digitum non unô Atlantis humerô fortiorem, qui orbem Annuli tulit geminum: Sanctiorem Andreã, qui duas Cruces pateretur. At sistite honores? quæ illa? quanta nec in suum olim Tutelarem, in Præsulem conjuratio? imò agite irritatæ dignitates! exacerbavit vos Præsul meritîs, cruces, crucibûs cumulate. Sic opinor; sic res est: invasit pilum Viri optimi, iterum Vladislaviensis Infula, intrusit se manibus emeritis Caduceus, adstrinxit veneranda colla torques tertius (: ita enim reluctante modestia, titulis resistebat Pontifex, ut idem honori videretur, *Lipscium* invitare ad curules, ac trahere:) o quàm dispare voto ad ambitum! qui venit etiam non rogatus. Vicisti, vicisti Vladislavia! pugnâsti pro Te, sed & Cracovia triumphat. Purpureus ille sanguinis STANISLAI Flos, adulta immortalis gloriæ messis, *Rastra* adhuc expectant *Lipsciana*. Quid enim hic impar aliis in campum gloriæ labores invitat emeritos? Cracovia & meriti acies, & ager cultissimus dignitatis. Vrbs, Regum coronatrix, Præsules, vel Coronæ Regnantium, vel gemmæ Coronarum. Vavellô quid in orbe sublimius? si ternus adhuc cui *Rastra* eminent, *Lipscianæ Domûs* Mons inferatur. Triplex *Illustrissimi ac Reverendissimi Capituli*

 pituli

291

pituli Diadema, quibus non Coronis æmu-
lum, si gēmæ, si clenodia includātur, Viri, quô-
292 vis pretiô majores. Ergone contendis adhuc
de Præsule Vladislavia? Rescinde litem di-
sputantium Infularum, cui jus gladii inest, Du-
cis Severiæ Honor Celsissime, vel si nec hic
evincendo Antistiti, par est, omnem Gentili-
tij *Rastri* dentem, oppone pro dente. Vi-
cimus jam, vicimus! Tu Magni *Abávi* Ma-
jor triumpha *Nepos*, cui ad eundem Hono-
rem & callis in individuo idem, & meritum
non dispar. Vno tamen dissimilis viderêre,
quòd Vladislavienses Infulas transilieris, sed
id felicitatis nostræ insolentia, agilior impe-
tus Tuorum fecit meritorum: ut nimirum
summa quæq; trajiceres ad Celsissima. Minor
enim esses *Abavô Nepos*, nisi in hoc quoq;
eum excesseris. *JOANNES* nimirum es,
adeoq; major nobis gratia, quod per plures
Infulas vota nostra non morareris. Quam-
vis verò, annîs supra centum quatuor, à fatis
Abavi, immortalis gloriæ Hæres, oculîs tā-
tùm non ab intensione cæcutientibûs expecta-
reris, segniorem tamen volventis se ævi ro-
tam, minimè incusamus; tantus enim, qualem
miramur Præsul, citius venire haud poteras.
Ingentia, enim Fortunæ molimina, Basilicæ
turresq; ægriùs nascuntur, sed postquàm sur-
rexe.

rexerint, supereminent multis. Tot annos, deliberando, tempus consumpsit edax, non quòd hæreret; sed quòd inexpectatam Cracoviæ felicitatem, post longa lustra in Præsule meditaretur, ut tandem sinè excessu styli, seris sæculis ad jactantiam narraremus, quanti momenti Te Antistitem acceperimus, cui recensere laudem parum esset, nisi ita processeris, ut ipse in admirationem diu stupentium ætatum ires: inde fastis pretium adderes, nomen conciliares scriptoribus, & immortalem quandam, non tantùm Cathedræ, verùm & paginæ huic, superbiam, affunderes veniendo. Mitto alios, quid enim abæterna magìs, quàm antiqua *Lipscianæ* gloriæ monumenta calamô refodiam? palam est, sub quovis mortuali pulvere ingentia Patriæ columina, Gentis Vestræ Atlantes, non tam condi, quàm posteris pro memoria asservari. Illos videlicet *Lipscios*, qui cum Famâ Nominis, meritorumq; gloriâ immortales, semel tantùm cesserunt fatis, ut semper de illis triumpharent. Vel ex eò tamen, sæculis omnibus amandi, nō plorandi Poloniæ, quòd cùm grandia in Patriam promerita, extendissent, ultra ætatem, ne annos breviores facerent virtutibûs, longiorem quàm Patriæ debebant vitam, eò usq;

deduxerunt, ubi ampliùs Poloniæ non ſunt morituri.

294 Sed quò calamum animumq; rapuerunt, tam Majorũ merita, quàm Tua, Exorate Cælitùs Antiſtes gloria. Vtiq; ſi in alios etiam Gentis Tuæ Patritios convolet calamus, bibit muricem pro ſepia, gemmas Domûs Veſtræ deſcribit, dum periodos. Vt taceam innumeros. Qui ille? Polonus Macedo, Numa Sarmaticus, Scipio, Honorius, utriuſq; Poloniæ Tutelaris Divus, publicis rebus propitium Numen, digna Pantheo effigies, *Venceslaus Lipſki, Genitor Tuus*. Quot hìc, in uno Capite immortalis gloriæ Complector faſtos? Tantùm non totam grandium Virorum Iliadem, Purpuras conſulares, auguſtam orbis hiſtoriam, ſi Tui, & Patriæ, Patris, merita evolvo *Venceslai*. Noſti *Antiſtes* ſingula, & ex Patris imagine, colligis eſſe Tua, quæ utraq; Polonia adorat ſumma. Te verò *Princeps Celſiſſime* quoddam grandium olim virtutum prodigium, meditabatur natura, dum tantùm ſudavit in Parente: quaſi ingens delineâſſet exemplar, ut tandem & præclarefactorum, & honorum opus, abſolveret perfectiſſimum; ipſeq; qui præceſſit Pater, rudimentum eſſet gloriæ, Te facere condiſcentis. Vtiq; ex eo omnes in Te Charites naſcendi

ſcendi ſors felicior transfudit cum Sanguine; ne, minùs debuiſſes Patri, niſi qui Te gigneret, magni famam Nominis habuiſſet Venceſlaus, & Tu quoq; ut naſcereris, niſi in Paternæ gloriæ gratiam Ioannes. Grande hoc fateor, & nonniſi Illuſtriſſimi Parentis Tui elogium. Haberet hic tamen, ſive ſit Cæſar priorem, ſive Pompejus parem, niſi Tua terminos ignoraret amplitudo, adeo creſcens in Patris meritum, ut, cùm hæc illi debeamus (: debemus autem, quàm maxima, quàm ingentia, quàm baſilica:) cum his tamen omnibus, quod ſupra omnia eſt, etiam Te ipſum debemus Patri. Quæ illa obærati in nobis animi immenſitas? exſolvet se tamen faciliùs, ſi per grandia Gentis Tuæ decora, hactenus evagata, ad Te in particulari deſcendat panegyris, atq; in theatrum Polonæ gloriæ, in quo ſemper rerum geſtarum felicitate, Actor extitiſti, brevem ſaltem ſynopſim Tuorum deferat meritorum. Hucuſq; enim aliena memoravimus, ſi tamen aliena? cùm & Majores Tui ſint, & quomodo dies, alia potiùs à Phæbo dicenda, non aliena, ita Tu *Antiſtes, à Proavis, Abaviſq;, ac Patre,* alter quidem eſſe potes, ſed à meritis Illuſtrium Virorum, nunquàm alienus, niſi fortè cùm illi ingentia geſſerint, Tu ingentibûs effeceris

ris Majora, & quomodò Sol, rectefactorum lu-
ce, superaveris auroras matres. Adhuc ta-
men, & ille actorum splendor, Tuus est, quã-
tumvis suis in causis, Te præcessisse putetur,
quia & sidera, licet ante ortum Phæbum, Pa-
trio in Cælo effulgeant, tota tamen sidereæ
Domus claritudo, Soli debetur subsequenti:
& maria, licet conceptas marino rore gem-
mas parturiant, prioraq; videantur unionibûs,
omne tamen Parentis etiam Oceani pretium,
prolis æstimatio est, in concha vagientis. Ti-
bi itaq; *Antistes meritissime*, non ideo Pa-
trum gesta præmisimus, ac si nos laterent Tua,
sed idcirco Majores memoravimus, ut poste-
ris, qui, Tua, Ioannis, ac Patrum merita evol-
verent, controversum redderemus, quis nam
in Regno, Domus amplissimæ, Vestrûm esset
Major? adeoq; ipsa seras inter ætates conten-
tio, Tuæ staret fundamentum Celsitudinis: No-
men verò Ioannis, argumentum insolubile,
quo etiam ex Majoribus, nemo surrexit major.

Quanta enim Tibi ab annis statim plo-
rantibus, ab ineunte ætate, optimè agendi
contentio? quanta à puero (: ut ita dicam:)
insolentia meritorum? Novimus utiq;, quo-
modò veluti mellea apum Respublica, Ma-
jores in Te, Familiarum Lechiæ, ex flore, le-
gebat cæras, illustrior sors natalium; tanquã
profi-

profiteretur Prothogenem, primorum Majoricæ Procerum imagine, implevit vultum, ſicut omnis, nobiliſſimi ſanguinis, Te color decuit. Adeoq; Illuſtriſſima *Barbara* de *Miaſkoviis* Matre, editus, an non veriùs Polonâ Pulcheriâ dixero? quòd non minùs pro mundo muliebri, quàm pro nominis optimi fama laborâſſet, quæ Te, tot animi, quot corporis virtutibûs compoſitum, in lucem eniteretur Ganymedem. Et verò: tanta Parente naſci non poteras, niſi vel Pater Patriæ, vel Ioannes, multarum Filius gratiarum. Futurus etiam à Cunis, inter Capitolinos Poloniæ Proceres, Probinus ſperabaris; hæc enim Tibi Parens contigit, in Polonam felicitatem ablactãdo, quæ potuiſſet (: ſi illas humana deceret Origo:) ipſarum eſſe Genitrix virtutum: atq; de Majeſtate Prolis, antiquiſſimæ, illi Deorũ Matri, controverſiam facere. O! quantum gloriæ! quantum decorum ab illo ubere hauſiſti! Quanto grandium Virorum agmini! quanto Familiarum exercitui! Ducem ſe præbuit, tanti Sanguinis in Te communio derivata! Vtiq; ſi ad *Miaſkovios* convolat calamus: Domus eſt, tam latè patens, quàm Polonia: tam innutrita bellîs, prout Achilles leonibûs, tam glorioſa trophæîs, prout curribûs falcatîs Æmilii aut Coclites, tam culta literîs,

297.

quàm per grandia Nomina diffusa. Mittam desudantis fortunæ labores in singulis, ex quibus Tibi concolorem trabeis, infundit sanguinem: ut olim vernares in rosis, atq; violâ. Dum Materni pretii venam, etiam flammîs excoqueret IGNATII in *Avunculo*, ut prodires in censum proles aurea. Stat suppar Rhodio Colossus, Religiosæ triumphalis sanctimoniæ. Subfirmat Scientias vertice, & non Lechiæ tantùm, verùm & Latio, prodigio est, omnî literarum altô erecta, cultissima moles Adriani. Hinc, tanta Materni Sanguinis perfusus Majestate, grande aliquid etiam in Cunis vagiisti. Iunctæ Infulis, advolabant ad nutum plorantem, Mitræ: quòd Ducem futurum sentirent in puero. Quomodo teneram in cunis rosam, involvebant purpuræ. Manus, quòd nihil infantile, omnia, ultra ætatem arriperent, comprimebant annuli, infasciabant tenella membra torques, pro arundine longa, intrudebant se Pontificii Scipiones. Ac si novus Poloniæ nascereris Honorius, cui, quæ prima lucis usura obtigit, titulîs affulsit Illustrissimîs. Tu tamen, utiliora juventuti, ad manum tunc elegisti, statimq; pro innato ad studia animo, ipsos titnlos declinâsti, eruditam interim virgam Mercurii, præferens sceptris. Ergo in Arenam conscendis literari-

am.

am. Et quia à primo ungve, statim Te in Aquilam Ioannem educârunt Superi, & Palladis noctuam, & Apollinis testudinem volucri ingenio superâsti, ipsas quoq; præcipites volatu, relinquens post terga Palæstras. Quæ illa scientiarum vota? dum primis ex Ceris, Minervæ destinareris efformandus? Planè universa tunc operosæ eruditionis miracula collegisti. Minimus doctæ frontis sudor, dignoscebatur par gemmæ, quæ Musas ferret omnes, orbe Pyrrhi. Enatabat ore Isocratis Syren, dum profundô suadæ, fontes allueres eloquentiæ. Styli rotunditas Patrium ultra orbem censebatur, supra Lutetiarum Athænas, mens amplior, supra ingenia ab Ibero aurea, culta indoles. Iamq; veluti non de Scientiis tantùm, sed de omnibus virtutibus triumphaveris, Gentilitia Vrbis Calissiensis Porta, in Portam Tibi recludebatur triumphalem; recluderetur & in Portam auream, si quanta eras scientiis indulgentia, vel qualis quantusq; Pontifex sperareris, tunc etiam, Te appellari sineres Sanctissimum. Nihilominùs quia Majoris Poloniæ Athenæ (: Athenæ dixeram *Præsul*? quia, Te tanto Auditore, hoc Nomen meruerunt:) non quòd minores viderentur, sed quòd non uni Poloniæ Sol orireris, cum alieno ergo Cælo, eruditum mutâ-

ſti Zodiacum.* ut nimirùm: poſtquàm exploraveris quid Polonæ? experireris etiam quid Germanæ? ad lucem Tui ingenii valerent Aquilæ; adeoq; ſaltem ſub alieno ſole, eſſetne radius aliquis? quem ad Tuæ diem mentis optares ſuperadditum. O! quantùm ad Ceras indolis Tuæ, ad optima quæq; flecti capaciſſimas, ſtatim Soles exteri exarſerunt! ut non tantùm Polonam Palladem urere inviadiâ, ſed & Tuîs amoribûs flagrare viderentur. Cùm enim primo Vratiſlaviam peteres; dicam veriùs? illud Reginæ Sapientiæ Soliũ, pro quo Cæſarum laboravit Fortuna, ut redderet Auguſtiſſimum; & ſi conſtaret, non urbem, Te magìs, quàm literarios adire faſces, gloriæ curru invehi, tamen quaſi non in alio Cælo effulgeres, ſed Polonæ extinguereris Palladi, noctibûs inhorruit Atticîs, totâq; plorans Caſtalî, tantum non ſuprema lamentatione proſequebatur, Phæbum ſuum, ad umbras alterius Acadæmi abeuntem. Dolori ſcilicet erat, illam ſibi eripi Indolem, quæ omnem lectiſſimæ juventutis, floris gratiam, in unum colligebat *Joannem.* Illum *Lipſciani* Sanguinis unionem, qui quantùm valuit in ſtudiis? tantùm univerſam ſecum eruditionis æſtimationem, Patrium rapuit ultra orbem.

At quò magìs ſua in Te *Antiſtes* damna,

mna,

mna, tantùm non luctibûs Polona ulcisce- 301.
bantur studia, Tuô ne meritô? an nostrâ injuriä? ad quæq; summa, Te manuducens, nos contra, delinquebat fortuna. Et certè non mereretur veniam, nisi salva felicitate nostra, in nos peccaret. Ex Silesia Romam Te usq; detulit, ne fortè eriperemus grandem ingeniorum thesaurum, clavibus *Petri* commisit, gemmamq; Poloni sanguinis, dedit ad *Annulum Piscatoris*. Credo ego Pontifex Florentissime, inter lilia Lechicæ juventutis, Te alterum extitisse Hyacinthum, & ideo Tyberi affusum: Te primam Polonæ Nobilitatis faciem, & ideo Capitolio debitam: Te fortunam Sarmatiæ, adeoq; ad Cardinalium Rotam pertinentem: Te insuper Ioannem, ergo congruum fuerat, ut & in Orbis Capite, & in pectore Quirini recumberes *Vice Christi*. O! quæ illa nostra voluptas foret, Te illic, quà animi, quà corporis, dotibûs erectũ, ultra Caput Orbis intueri! quomodò, Te solô, urbium Reginam, mundi Dominam, ornares Romam. Quadrienniò prope, admiratione hæsit, Romanum Societatis Collegium, cujus Scientiis, cùm tot, quin plures, cum Pontificibus ætates, vix sufficerent condendis, Tu unus suffecisti addiscendis. Divinæ facultati capiendæ, & par orbis Capiti, & hu-

 humano

manô majus, adtluisti ingenium, penetrabas arcana, ad quæ, vix passu imaginario acceditur, solvebas difficultatum nodos, in quibus etiam illi hebetantur, qui, se, diutiùs ad Romanam Petram acuunt: & quos, ab intellectu remotissimos putamus, Tu doctior Theseô, argumentorum filô, adibas Theologiæ Labyrinthos. Ipsa, Te, Divinitatis, quia Mysteriá erant, latebant mysteria, & hæc tamen nisi æternitatis forent studium, Tuô quadrienniô didicisses. Tanta credebaris Intelligentia, & eras. Disputabat alibi Roma de virtutibus, quas in Te, ad Domus clarissimæ ceras, veluti aram in animo majorem incolerent, partim habituales demonstrabat, partim ex actibus frequentatis, inferebat acquisitas. Omnẽ Quirinæ Theologiæ tractatum, Te solo, *Joanne* Gratiâ, implevisses, ferverentq; inter æstus Capitum, de Te, Doctorum bella, nisi ut de Nominis Majestate, ita de grandium virtutum evidentia, nemini feceris controversiam, quòd ex tot, tam alti generis, quàm eminentium dotum præmissis, inferrentur virtutes Cardinales. Nihilominùs, amplissima etiam in se Roma, diutiùs Te capere non poterat, quòd natam ad Celsissima mentem, altiùs semper erigeres, quasi uni Orbi non aliter sufficere potuissas, nisi omnem manu teneres,

neres, & sparsa per Regiones decora, solus intra pugnum arctares. Hinc ergo Neapolim, inde in Gallias perrexisti, ut cum nullibi terrarum, Tui similem gloriam offenderes, saltem inter Pares Franciæ, invenires æqualem. Quem jam non morum candorem Lutetiis attulisti? vel ipsis Gallorum liliis optandum. Videbant in Te Gallorum Florentissimi, quod in suis amant liliis, videbas tu pariter in Galliarum liliis, quæq; miratur Orbis, loquuntur sæcula, amat Europa & stupet. Ne verò vidisses tantùm, morę argumentosæ apis, etiam in animum transcribebas. Tot Regnorum cumulatus decoribùs, tandem in Patriam vota referebas. Sed o quam lento passu, ad nostra sine Te tædia, vehebaris! nec miror: cum enim, non solus redires, sed Romam, Neapolim, Gallias, Orbem integrũ, & Te hîs omnibûs ampliorem, Poloniæ inferebas, festinare haud poteras. Ita enim in felicitatem nostram revehi debueras, & cum ita potueras, debueras morari. Nunquàm enim grandia habentur per compendia. Amant moram opera, quæ seriùs incumbente fortuna, sperantur absoluta, & qualem Te evincendum calamô *Antistes* accepimus, tam perfecta, quàm consummata.

Magni Nominis plenum (: talis enim ubiq; eras :) hactenus Te *Præsul* per Regna sequebamur: Iam ut immortalibus sæculis (: quomodo Tua jubet gloria :) consulamus, par maximis, Te redde Poloniæ in pagina, atq; inter monumenta Majorum iturus famæ, primus è vestigio occurre Tibi. Nos interim, cum innumera silentiô veneremur, ad illud nonnisi Orbis Lechici theatrum festinabimus, in quo & Infulas, & Regna ore merebaris, mentis Coronatæ interpres, Vox publica Majestatis, *Procancellarius.* Neq; hic grandia Meritissime *Præsul,* acta Tua silent. Infelicitas nostra! horremus iterum facundiæ pericula, ad Tuam eloquentiam, ne quomodo pro Regno & Rege perorasti dignissimè nos non referamus indignè. Et jam Oratores esse pudet, sed nec Tacitos expedit, quod balbutire potiùs, quàm silere, Regum coram Rhetore convenientiùs, siquidem, etiam hæc, quæ incondita hactenus incessit suada, oris, styliq; gratiam, capere possit a *Joanne.* Quia tamen Quinctiliani judicio, *nemo melius Tullios veneratus est, quàm qui coram illis tacuisset.* Nobis quoq; facundiam Tuam, à qua admiratione pendebant Reges, Regnaq; stupere potiùs, quàm illam jactantiùs prædicare, magìs convenit. Ad laudãdum enim

Joan-

Joannem, *Joanne* opus est, & adhuc, qui iterum *Lipscius*, vox Regum esset; neq; tãtum Tui similis, sed alter. Iam satis intelleximus, licet plures hactenus, non explessent mundum margaritæ, pauciores tamen sufficere potuisse, nisi fortè quòd in una Signatoris annuli gemma, plures concluseris uniones, cum scilicet talem Te *Cancellarium*, voluerint Superi, qui omnia sæculorum pretia, & orbis æstimationem, quomodo crystallus solem, compræhenderes, concẽtrares.

Sed quo se nostra sensim subducit panegyris? adhuc ne non ultimus honorum meritorumq; labor, hic etiam Signator annulus? arctus ne adhuc honori Tuo *Alexander* iste Orbis? Et verò: si uni digito capiendo arctus, quomodo non arctior meritis, uno & altero orbe ambiendis? Agite ergo quid agitis honores! post Rostra, venerandum crinem, vittîs adspergite, ædificate caput Infulîs, pollicem annulîs innodate, Præsuleũ Scipionem manibus ingerite, torque aureo, accingat se ad viã *Antistes*, Luceoriensem Brestensemq; Cathedrã, aditurus. Duas ne simul? Ita est: Sol enim tantus, qualis Tu *Præsul*, titulis oriebâre Pontificibûs, consistere non potuit, nisi in Geminis. At verò, itane nobis debebaris Præsul? ut fortunâ interciperėris alienâ? Indignaremur

mur felicitati Cathedræ utriusq; , si de nostra potuissemus desperare. Imò vel inde, de necessitate duarum Insularum persuasi præmittenda, ut pluribûs titulîs, tertiæ debereris. Verumtamen Tu illas Cathedras necdum adivisti; conjicio : nam cum felicitatem suam non caperent Te sperando, ingressum distulisti: ne tandem, amplitudine gloriæ, totam Vołhyniam arctares, veniendo. Satis tamen ad immortalem famam *meritissimis Cathedris*, quòd Te meruerint, licèt nec nobis desideratur ampliùs *Præsule* obtento. Immortales verò Luceoriæ Brestæq; gratiæ, quòd se vinci à nobis sinerent, & quem nunquam donarent Cracoviæ *Antistitem*, saltem sibi eripi permiserunt. Ne tamen injuriam putent, vovemus illis Pontifices maximos, cum nos Te jam Summum habeamus. Vel ne quid, minus optemus, nobis, cum majorem nunquam habere possint, habeant parem, idest, qui omnibus numeris (: qualem Te esse gaudemus, absolutissimus sit, & in omni honorum campo, meritorum labor consummatus.

Et jam ad quòd tot meritîs virtutibûsq; contendebas, Tuæ, nostræq; felicitatis, fortunatus Hospes, ascende fastigium. Ingredere sublime illud virtutis Tuæ & Pontificiæ dignitatis Pantheon, ultra & ultra pedem promove,

sed.

ſed & oculos, pauliſper attolle, fortunæquè Tuæ, in ingreſſu pompam, ſi potes? adhuc ſuſpice. O qui Te ingentium circumſtat numerus! Qui prodromo Antiſtitis greſſui, grandium nominum ordo præit! qui inſtat! qui ſubſequitur, exercitus dignitatum! Hinc Gentilitius *Miaſkovianæ Domûs* Monoceros, unô, quem fronte refert cornu, ſexcentas fortunæ ſuperans cornucopias, gaudet illud quòd pridem merebaris, jam Tecum honoris punctum, tetigiſſe, Illinc, niſi altis aſſvetæ veſtigiis *Domaniecciorum Soleæ*, Tuis ſe aſſociant paſſibus. Inde *Koźminſciorū Roſæ*, *Dźierzanowſciorum Lilia*, flos uterq; ad ſolia candidatus, inſternit callem, comit iter, ne quidquàm etiam calcaveris, quòd non roſa fiat, non lilium. Multiplicant ſe numeroſô meritorum ſatallitiô, *Chłapowſciorū Driæ*, latus occupat, *Grabſciorū Zabawa*, notat grandem Antiſtitis greſſum *Kowalſciorum Habdank*. Incedunt, totam ſe ſolis facturi Poloniam, *Naramowſcii*, *Goſtkowſciiq;*, quibus Sanguinis conjunctione, ut gemma ânnulo, ut Sol, ſuo adhæres Cælo. Subſeqvuntur baſilica vocabula *Kośćieleccii*, Illuſtriſſima Nomina *Kwileccii*, numeroſa grandium Virorum Reſpublica *Wielewieyſcii*. Sed nondum inspexiſti *Dobinios*,

Tarnavioſve, quorum etiam Gentilitii Vomeres, quia omnem dignitatis campum excolunt, non tam noſtrô calamô, quàm totius Europæ ad Elogia, trahuntur Taurô. Flores etiam ſunt illi Tui Sanguinis in avita Roſa, in Illuſtriſſimo Nomine, Auroræ titulorum, fixa Poloniæ ſidera, in Viris, Tuiq; Solis, ad axem Præſuleæ dignitatis, tam Duces, quàm Comites. Quid ſi referam adhuc, timendos hoſtibus Patriæ *Rokoſſowſcios*, ſceptrô clavâq;, menſurandos *Mierzewſcios*, quid ſi? *Nieżychowſcios*, *Łętkowios*, *Zakrzewſcios*. *Mieleccios*; *Linowſcios*, totôq; Drużynâ, ad rubrum ſanguinis Tui mare hucuſq; confluentes *Stadniccios*. Tantâ videlicet nativitatis Rotâ, in culmen Pontificiæ Dignitatis proveheris, quantâ nec Latii triumphatores in Vrbem, nec Cæſares in Capitolium, Elephantibûs alii, alii Leonibûs, alii demum, (: ut de Seſoſtrite meminimus :) Regum cervicibûs illati. Quæ verò jam populorum Te circumſtant vota? quantis omnia plena tripudiis? Niſi aras per templa Divis, Religio diſpoſuiſſet; Te ab illis flexo poplite ſalutandum, ſimplicior populus evulgaſſet: Quod veluti, non Diviniſſimi tãtum *Stanislai*, ſed *Petri* Succeſſor, venires ad Cathedram, aut Agno *Szaniavio* ſucce-

deres

deres *Leo Poitifex*, adeoq; a collo Tuo Præsuleo, non tam Crux honoraria, sed vita populorum, anima Gregis Tui, & Diœcesis incolumitas penderet.

Quid ergo vel ipsi jam gaudia moramur nostra? Procede ultra, tam summus, quàm nobis obtigisti ingens. Expectatus, inter diuturna tædia, ascende inter solatia. Vnicum tantum nobis Tecum infortunium est, quòd tam digne salutari non possis, quàm ades augustè. Vtinam aut minor venires, aut non intelligeremus tantum, quantus venis, caperemus nos intra solatia, quæ modò & Typis mandamus, & cum fama Tui Nominis Vniverso. Verùmtamen licet non tantum salutaris à nobis, quantum mereris, talis tamen, qualis venis. Ad mensuram enim ingentium Virorū sufficiens elogium est, si majores mereantur laudes, etiam postquàm acceperint maximas: adeoq; impar encomium appareat necesse est, coram Summis, ut tales videantur, quales sunt, idest, quibus nulla laus, reddi potest æqualis meritis, Insuper cumulatæ Tuîs gratiîs *Antistes desideratissime*, Societatîs IESV, hoc negotium puta, quæ se Tibi tantum exsolvere non potest; quantum illam, maximîs pridem favoribûs obærasti. Non omnia hic & nunc offerimus,

ut palam ſit, quod debeamus plura. Feſtinabimus grandiora, modo juſta virtutis præmiatrix Roma, abſolutiſſimis omni in campo meritis Tuis, quantociùs properet (: quæ vovemus:) Eminentia? ut non ſolius tantum Poloniæ, Cracoviæq;, ſed ad Cardinalium Rotam, ſis Vrbis fortuna & Orbis, adeoq;, prout jam rectefactorum gloriâ, ita honorum labor conſummatiſſimus, ſi nihil ſupererit, quod præter immortalitatem Voveamus.

Z